

Universitätsbibliothek Wuppertal

Symbolarvm Libri XVII. Qvibvs P. Virgilii Maronis Bvcolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur

Vergilius Maro, Publius

Augustae Vindelicorum, MDIC

Ecloga secunda. Alexis.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-322)



Ecloga secunda. Alexis.

SYNOPSIS.



Hanc Eclogam, quoddam Cyclopi, & Comaste Theocriti ei simulacrū, atq; imaginē, visum nonnullis Monodiam inscribendā, quod Alexide prorsus tacente, solus Corydon loquatur. Qui cum urbanū illum, nec deformem puerū ipse homo pastor & agrestis haud frigide amaret, animo autem, & voluntate à se abhorrentem, atque alienum experiretur, eum emollire, sibiq; adiungere, blanditijs, & promissis studet. Nunc se de suis diuitijs, nunc de canendi scientia, nunc de forma quoq; magnifice iactat. Promissis verò etiam minas addit. Quia tamen se actum agere, & in ventum verba fundere intelligit, saniora capeffere consilia, ab istaq; stolidā amatione ad interruptum quotidiani operis laborem redire decernit: ut hac ratione molliissimis hisce cogitationibus, quas otium & desidia parere in mentibus consueverunt, expediri queat. Exemplo sanè optimo. Hoc enim si faciant, qui se à cupidineis illis sagittis tutos integrosq; prestare cupiunt, sapientissimè faciant. Nomine Corydonis, sunt qui Virgilium ipsum, Alexidis autem Pollionis puerum, quem postea Virgilio donauerit Pollio, ἀλλήλοεχθρὸς significatum velint. In his Apuleius Apolog. 1. cuius verba recitabo. Quanto modestius tandem Mantuanus poëta, qui ibidem, ut ego, puerum amici sui Pollionis bucolico ludicro laudans, & abstinens nominū, se quidem Corydonem, puerum verò Alexin vocat? Sed Martialis lib. 8. hunc Alexin facit proprium Mæcenati, cui ad cyathum stetisse narrat, ut infra ex eiusdem versibus patebit. Postquam enim illius summi viri, & apud Augustum gratiosissimi opera, poëta agros dixit esse restitutos, continuò in persona eiusdem Mæcenatis subiungit.

Accipe diuitias, & vatum maximus esto
Tu licet, & nostrum, dixit, Alexin ames.

Donationis meminit lib. 5.

Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
Cum minimum vati munus Alexis erat.

Ex hac Ecloga quemadmodum similitudinem concordie, & amicitie: sic vicissim dissimilitudinem dissidij, odiorumq; conciliatricem, & parentē esse discimus. Quomodo huius Eclogæ Propert. quoq; meminerit, & ubi, docuimus in Prodidagmatis cap. 9. cum poëtarum veterum de Marone testimonia protulimus. Adeius exemplum suam secundam pene totam Nemesianus effinxisse cernitur.

EXPLANATIONES.



Eormosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini: nec quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, vmbrosa cacumina, fagos
Assidue veniebat: ibi hæc incondita solus
5 Montibus, & syluis studio iactabat inani.

PASTOR CORYDON ARDEB. ALEXIN) Κόρυδος, κορυ- A Eadem metaphora Moschus. ὁ δ' ἀχὼ τὸν πᾶνα, τὸς οὐδ' αὖ
δαλῆς, & ἐπ' αὐτοῖς galeritus, & galerita, cuius allusione
nomen Corydoni dedit poëta. Ardeo, nunc neutrum,
nunc actiuum est poëris, more Græcorum, quibus ἀρδν
utroq; modo usurpatur. Horat. lib. 4. Ode 9. similiter
accusandi casum huic verbo dedit. Non sola (Helena)
comptos arsit adulteri crines. Paradis videlicet: aliàs abla-
tium, lib. 5. Ode 9. Donec non alia magis arsisisti. Et Ode
14. Epod.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium.

Simile illud lib. 4. Ode 11. Non alia posthac calebo Famina

nat. Quid amores, ac delicias tuæ Roscuis? Epist. lib. 7.
Scito

Scito C. Sempronium Rufum, mel, ac delicias tuas calumniam maximo plausu tulisse. Sic Titus Vespasiani F. Augustus, propter incredibilem humanitatem, comitatemq; in omnes amores, & deliciae humani generis appellatus est. Traditum à Suetonio, & Aurelio Victore. Dicitur etiam probè delictum. Martial. lib. 1. *Stella delictum mei columba*. Et lib. 7. *Gloria conspicua, delictumq; domus*. Dominum intellige Mæcenatem. Et ut perspicias, quamobrem delicias domini sui hunc adolescentulum vocauerit, audi Martial. lib. 8.

*Astabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra falerna manu:
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum sollicitare Jonem.*

Iacob. Pont. DENSAS VMB. c. f.) Turneb. sic explanat, lib. 30. cap. 14. habentes umbrosam, & densam cacumen, atque tegumen. HÆC INCONDITA) Corydonem non condita verba ea profudisse dicit, quæ postea ipse Maro in versum incluserit. Etsi enim Corydon iacet versus suos, tamen per illam amoris insaniam, & querelam, ex tempore carmina non effundebat. Namque Maro, quæ ipse condidit versibus postea, tum eum dicit sine numero querentē declamasse. Turneb. lib. 12. cap. 7.

Obserui, inquit Nannius lib. 6. cap. 3. incondita saepe dici, quæ natura, non arte fiunt. Sic Donatus solas interiectiones, voces inconditas appellat, quod natura eas gignat: proinde apud omnes homines esse easdem: reliquas verò partes orationis artificiales, & hominum ingenijs variari. Hinc quoq; est, quod milites in triumpho Cæsaris apud Suetonium incondita carmina cecinisse scribuntur. Hæc ille. Potes item incondita interpretari temeraria, cōfusa, insana: quia modò criminatur & accusat, modò adulatur, & allicit, modò semetipsum reprehendit. SOLVS MONTIBVS, ET SYLVIS) Scimus in more positū hominibus aliqua mœstitudine, calamitate, luctu oppressis, vitare lucem, & conspectum aliorum, versari in locis solis, ac desertis, in agris, sylvis, montibus, ibiq; velut ipsis testibus liberè, & quantum animo collibuerit, deplorare, ac lamentari miseras suas, & è questibus illis solatiolum aliquod aucupari, quando id in turba,

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:

Nil nostri miserere, mori me denique coges.

Nunc etiam pecudes umbras, & frigore captant:

Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.

10 Thestylis & rapido fessis messoribus æstu

Allia, serpillumq; herbas contundit olentes.

At mecum raucis, tua dum vestigia lustris,

Sole sub ardenti resonant arbuta cicadis.

Nōne fuit satius tristes Amaryllidis iras,

15 Atque superba pati fastidia? nōne Menalcam?

Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.

O CRVDELIS) Hæc oratio Corydonis septem habet partes. I. expostulationem. II. sui accusationem. III. sui commendationem. IV. inuitationem. V. munerum oblationem. VI. rursus sui reprehensionem. VII. commonitionem sui, & consolationem. NIHIL MEA CARMINA. c. n. n. m.) Gradatio pulchra à leuiotibus ad grauiora, quæ Alexi merito in crudelibus numerasse ostendit. Est autem hoc Enthymema. Contemnit cantum, blanditias, precesq; meas,

A seu præsentibus alijs facere vel indecorum, vel etiam interdū periculosum videtur, quod rectè inane studium vocat Maro. Quare scribens ad Atticum exul Cicero, Odi celebritatem, inquit, fugio homines, lucem aspicere vix possum: testaturq; solitudinem sibi nequaquā molestam fore. Tusc. 3. legimus, quod magnopere ad confirmandam, & illustrandam rem propositam facit. Ex hoc euenit, ut in animi doloribus alij solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte.

*Qui miser in campis mærens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.*

Sunt autem alij, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui saepe delectat, ut illa apud Ennium nutrix,

B *Cupido capit miseram nunc me proloqui
Cælo atque terra Medæi miseras.*

Hæc omnia, recta, vera, debita putantes, faciunt in dolore. His adde initium eleg. 18. lib. 1. apud Propert.

*Hæc certe deserta loca, & taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo saxa queant sola tenere fidem.*

Et in extrema.

*Et quodcumque mea possunt narrare querela,
Cogor ad argutas dicere solus aures.*

*Sed qualiscunque es, resonent tibi Cynthia sylva,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.*

In Mercator. Plauti Charinus adolescens proficitur, nolle se alios amantes imitari, qui in comædijs aut nocti, aut diei, aut soli, aut lunæ miseras narrant suas: sed velle eas spectatoribus aperire. Adi Victor. lib. 4. cap. 7. Ariadna præterea apud Catullum, carmine de nup. postquam de perfidia Thesei in littore deserto ventis conquesta est, semet ita reprehendit.

*Sed quid ego ignavis nequidquam conqueror auris
Externata malo, quæ nullis sensibus ancta,
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.*

Similia dicit apud Athenæum quidam Poëta Comicus.

*Περὶ φιλοσόφους γὰρ τὴν κοῦραν λαλῶν,
Οἷς ὁδὸν ὁδὸν ὁπμιελὲς τῶν σῶν λόγων.*

Iacob. Pont.

quod minimè faceret, si qua pars humanitatis apud eum resideret. Immo amplius, miseria mea, ut si hostis esset, nihil commouetur. Deniq; sic obduruit, sic infenso est in me animo, ut etiam sui causa confectum me & morientem sicis oculis intueri queat. Verè igitur, & oppidò crudelis haberi Alexis debet, qui sui cupidissimum tam inimicè tractet. Iacob. Pont. NIL NOSTRI MISERERE) Theocritus, ὁ δὲ μεν λόγον ὁδὸν ποιῶν. Et alibi: τὴν δὲ ὁ μίλιν ὁ μὰ δὲ ὁδὸν. Nemefian. Eben, nulla

nulla me ate tangit cura salutis. MORI ME DENIQUE A
COGES) Apud Theocritum est Idyll. 3. ἀπ' ἀγ' ἀδ' αὖ μὲ
ποινῆς. Id est, tu me ad suspendia coges. Hoc enim ibi
querelæ suæ aduersus Amaryllidem pastor subiungit.
Vbi observandum, multò loqui hic honestius Corydo-
nem, quum hoc mortis genus, suspendium puta, om-
nium maximè turpe atque infame habitum fuerit, & ὁ
καθ' αὖτος vocatus fuerit, ὁ δὲ ἀγ' αὖτος δ' αὖτος. Non du-
bium est etiam, quin hanc mortem maior quasi infamia
sequeretur, si eam sibi quis inferret. Legendum autem
in Virgilio, *mori me coges*, non cogis, cum futuri tempo-
ris verbum ποινῆς, item sit apud Theocritum, & libri
quidam veteres sic habeant. Hen. Steph. NVNC ETIAM
PECVDES VMB.) Quis dubitet hinc manasse illa Ne-
mesian. in Eclog. 4.

*Iam pecudes subiere nemus: non vlla canoro
Guttur cantat anis: torto non squamea tractu
Signat humum serpens.*

VMBRAS ET FRIGORA) pro vmbrosus seu opa-
cum frigus. Videtur figura ἐν δὲ δ' αὖτος, ut, pateris libamus
S aureo, pro, pateris aureis, & alia alibi. Sic Eclog. 6.

*Ille latus nuceum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.*

Sub nigra, id est, vmbrosa. Captat vmbas æstu meri-
diano. Ex hoc porro versu, & tribus continenter se-
quentibus, meridianum tempus ab adiunctis intelli-
gentiæ subijcit. Etenim quæ tria hic exprimuntur, me-
ridiem haud dubiè ostendunt. Sic apud Persium Sat. 3.
monitor siue obiurgator adolescentem prauum vsque
in meridianum tempus sterentem acculat: quod tem-
pus item ex adiunctis, summo nimirum calore, & pecu-
dum requie in vmbra ostendit.

*En quid agis? sicca infana canicula messes
Iam dudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est.*

Varro lib. 2. de re rust. cap. 2. de opilionibus, Circiter
meridianos æstus dum deferuescat, sub vmbrietas rupes,
& arbores patulas subijciunt: quoad refrigerato
aëre vespertino, rursus pascant ad solis occasum. Iacob.
Pont. FESSIS MESSOR. ESTV ALLIA) Significat
messores, genus hominum laboriosissimum, tamen in-
terquiescere propter æstum, prandereque moretum:
quo genere edulij, allio, & herbis olentibus non tam
conditi, quam infercti, messores, & rustici illa tempe-
state vescebantur, ut è Moreto Virgilij intelligimus.

Mihi, ait Vrsinus, mirificè hunc locum ipsum illu-
strare videtur, quod in Theriacis scribit Macer, seu quis
alius eius libri auctor. Loquitur autem de serpyllo.

*Nidor combusti serpentes effugat omnes,
Et quoduis animal infundens ore venenum.
Hoc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Ut si forte sopor fessos depresserit illos,
Vermibus a nocuis tuti requiescere possint.*

Nicander etiam in Theriacis, ἢ ἐν τῷ ἐρπύλλῳ κρεῖται
δὲ αὖτος κρεῖται. Idem quoque de allio tradit Macer
in eodem lib.

*— mansum, vel inunctum
Curat quos serpens, vel scorpius intulit ictus:
Et nocui vermes tui pelluntur odore.*

* Facetam allij detestationem lege apud Horat. Ode 3. Epod. in qua
S dura vocantur messorum ilia, quæ hoc veneni, (tali enim honore
ibi genus hoc cibi dignatur) possunt concoquere. Suet. Vespasiano,
cap. 8. Ac nequam occasionem corrigendi disciplinam pratermit-
teret, adolescentulum fragrantem & nguento, cum sibi pro impetra-
ta præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauis-
sima increpuit: maluisse allium oboluisse. Vbi in vetustissimis co-
dicibus legi, allium, & apud Horat. quoque testatur Torrentius. Qui-
dam halium scribunt, tanquam ab halando, vel halitu. Solent ve-

ro adhibere allium messoribus & sic antidoti, ne scilicet si æstuantibus
à sole corporibus frigidam biberint, & aletudini officiant. Magnas
& multas allij utilitates recensuit Plinius lib. 20. cap. 6. In totum
autem, inquit, coctum & stilus est crudo, elixumq, rosto: & sic voca-
conferit. AT MECVM RAVCIS) Antithesis. Hoc tem-
pore meridiano & pecudes, & lacerti in vmbra deli-
tent, & messoribus quoque refrigerantes escæ paran-
tur: at ego dum te quarito inquires, æstum perferre co-
gor cum cicadis. Hac particula, at (quod in Indice mo-
net Erythraeus) poetæ & carmen, & sententiam incho-
ant. Id quod, ac, coniunctio sæpenumero facit, & at-
que, non ita frequenter. Quin & liber Æneid. 4. sic in-
cipit, *At regina*: sicut & 9. *Atque ea diuersa*. SOLE
SVB ARDENTI) Catull. quoque, *Sole sub ardenti fla-
uentia demetit arua*. RESONANT ARBVSTA CICA-
DIS) E cicadarum cantu maximum æstum insinuat, pe-
rinde ac si diceret: at nunc meridiano tempore solis va-
pore omnia torrentur, quod arbuta cicadis resonantia
demonstrant. Per æstum enim cicadæ vehementius ca-
nunt. Georg. 3.

*Inde, ubi quarta sitim cali collegerit hora,
Et cantu querularum pent arbuta cicadæ.*

Turneb. lib. 12. cap. 7. * Eodem modo S Hesiodus meri-
dium περὶ τοῦ καλοῦ, S in Clypeo. Simili sententia scripsit in Pa-
negr. Lucanus.

Sic & ædoniæ superantur voce cicadæ,
Stridula cum rapido faciunt conuitia soli.

De cantu cicadarum noster rursus 3. Georg. Sbi de laudibus cica-
dæ Anacreontis Odulam, S omnia illius poetæ, suauem, ac festiuam
producemus. Figura hieroglyphica quemadmodum castigationem
dicacitatis, S odiosam illam garrulitatem indicet: nobilitatem
præterea Atheniensium, S musicam, Pierius lib. 26. Cicadas tra-
dit Solinus cap. 8. apud Rhegiōs in Italia mutas, Sicinas autem Lo-
crensium & Itra ceteras sonitare. Additur fabula, cum obmurmu-
rant Herculi illic quiescenti, deum mandasse ne streperent. Hinc
illud permanere silentium. Strabo lib. 6. cicadas apud Locros par-
tim vocales ait esse, partim mutas. Causam ibidem legas licet. Vn-
de nata cicadæ, S quomodo cantum haberent a Musis, vide aliam
fabulam apud Gyrald. Syntag. de Musis. NONNE FVIT SA-
TIVS, TRISTES) Frequenter euenit, ut qui meliorem
fortunam captarent, præfenti, & illa quidem mediocri
non contenti, in miseriorem inciderent. Quod cui ac-
ciderit, ille sibi met hos versiculos poterit occinere de
Virgilio, quorum simillimi sunt, quos depromit Ger-
man. ex Propertio, lib. 1. eleg. 17.

*Nonne fuit melius domina pervincere mores?
Quamvis dura, tamen rara puella fuit.*

Et lib. 2. eleg. 25.

*Nonne fuit satius duro seruire tyranno,
Et gemere in tauro sæue Perille tuo?*

Sed vel commentationes, vel paraphrases huius, simi-
liumque locorum de superbia, fastidijs, iracundia, ty-
rannide demum amicarum, ne vel vberiores, vel cla-
riores, vel insigniores, ac meliores Plautinis postula.
Nec à quoquam seruitus amantium descripta est diser-
tius. A Terentio quoque licet ista sumas, ex Eunuchis,
vbi sic est loquens Phædria.

*Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit, reuocat: redeam? non, si me obsecret.*

Infra.

*In amore omnia hæc insunt vitia, iniuria,
Suspiciones, inimicitia, inducia,
Bellum, pax rursus.*

Et expertus erat plus satis hæc superba fastidia poetæ
Vmbæ, qui ita cecinit lib. 2. eleg. 8.

Omnia

*Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis, hac in amore rota est.*

Alibi.

*Durius in terris nihil est quod viuat amante,
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.*

Solent etiam formosi habere hoc, ut fastidiosi, contumaces, ac superbi sint. Ouid. *Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam.* Iacob. Pont. *QUAMVIS ILLE NIGER*) Potest hic quoque versiculus, ut alij innumerabiles, conuerti ad parciniam, ut nempe has, similesue sententias complectatur, & animis subijciat.

O FORMOSE PVER, NIMIVM NE CREDE COLORI.

ALBA LIGVSTRA CADVNT, VACINIA NIGRA LEGVNTVR.

Despectus tibi sum, nec quis sim quæris, Alexi,

20 Quam diues pecoris niuei, quam lactis abundans.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:

Lac mihi non æstate nouum, non frigore defit.

Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat

Amphion Dircæus in Actæo Aracyintho.

25 NEC SVM ADEO INFORMIS: nuper me in littore vidi,

Cùm placidum ventis staret mare. non ego Daphnim

Iudice te metuam, si nunquam fallit imago.

O FORMOSE P. NIM. NE CREDE COL.) Quam B
hic vicissitudinem, mutationemq; formæ in deterius
Corydon Alexidi, eandem Ligurino proponit. Horat.
lib. 4. Ode 10.

*Insuperata tuæ cum veniet pluma superbia,
Et, quæ nunc humeris inuolitant, deciderint coma:
Nunc & qui color est punicea flore prior rose,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam, &c.*

Nemesian. eclog. 4.

*Non hoc semper eris, perdunt & gramina flores,
Perdit spina rosas: nec semper lilia cudent:
Nec longum tenet vna coma, nec populus umbras.
Donum forma breue est, nec se tibi commodat annis.*

Longus quamlibet esse possem in fragilitate formæ,
quæ, quod nemo non nouit, aut ætate, aut morbo deflorescit: sed paucorum duntaxat poetarum adhuc versiculos super ea re adducam, quos etiam edidicisse iuuet: sunt enim & graues, & venusti. Ouid. lib. 3. Trist. eleg. 7.

*Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugæq; in antiqua fronte senilis erit.
Inijciatq; manum forma damnoſa senectus,
Quæ strepitum passu non faciente, venit.
Cumq; aliquis dicet, fuit hæc formosa, dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.*

Tibull. lib. 1. eleg. 4.

*Crudeles diui, serpens nouus exuit annos,
Forma non vllam fata dedere moram.*

Proinde optat Latinus ille Callimachus, sed optat quæ fieri non possunt, lib. 2. eleg. 2.

*Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Et si Cumeæ secula vatis agat.*

Nunc ad Theocritum veniendum est. Idyl. 22.

----- οἶδ' αὖ τὸ μέλλον,

*Καὶ τὸ ῥόδον καλὸν ἔστι, καὶ ὁ χρῶν αὐτὸ μαγεῖν.
Καὶ τὸ ἰὸν καλὸν ἔστι ἐν εἶσι, καὶ ταχὺ γυρᾶ.
Λευκὸν τὸ κείνον ἔστι, &c.*

A Quamuis ille ignobilis, tu nobilis: ille pauper, tu diues: ille indoctus, tu litteratus: ille priuatus, tu cum imperio: ille seruus, tu liber: ille externus, tu ciuis: ille deformis, tu pulcher, &c. Nigrum quippe, seu nigror ad infelicitatem, casum aduersum, infortunium, improbitatem, deterioſorem deniq; notam, & ut simpliciter dicam, ad malum declarandum pertinet: contra, candidum, siue candor ad prosperitatem, & ut vno absoluiam verbo, ad bonum, & ad id, quod expetendum est, transfertur: id quod tute in scriptoribus legendo vel obseruasti, vel obseruabis, cum voles. Iacob. Pont.

Idyll. 10.

*καὶ τὸ ἰὸν μέλαν ἔντι, καὶ ἡ γερὰ ἡ ἀνιθῶ,
Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς σεφάνοις τὰ πρῶτα λέγον.*

Non immeritò quis suspicetur, ad hosce duos locos Virgilium respexisse. De posteriore planum est. In priore autem illa tantum habemus verba, οἶδ' αὖ τὸ μέλλον, quæ saltem adumbrasse dici queat. Sonant autem, Noui quid sit euenturum: quod tu si cogitares, non adeo crederes tuæ formæ. Nam rosa quoque pulchra est, sed tempus ipsam marcidam reddit, &c. Dico autem potius, Non adeo crederes tuæ formæ, quam tuo colori (retinendo & illud Virgilij verbum) quoniam tertio versu dicitur, καὶ καλὸς καλὸν ἔστι τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ἔτι. Verum Virgilius non generaliter de forma, sed de candore peculiariter loquitur: quæ res ex eis est, quæ formam nō parum commendant: ideoq; dixit colori, non formæ, quoniam præcesserat, *Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.* In versu autē sequenti: *Alba ligustra cadunt, &c.* aperte ad illum alterum Theocriti locum respicit, καὶ τὸ ἰὸν, &c. vbi λέγονται, videtur esse, quod à Virgilio dicitur, *leguntur*: nam malè vulgò exponitur, nominantur. Hen. Steph. ALBA LIGVSTRA) Ligustrum cum fruticis nomen sit, hic fruticis florem, qui candidus est, significat: de quo Ouid. 13. Metamorph. *Candidior folio niuei Galatea ligustri.* Turneb. lib. 30. cap. 14. Audiamus & Brodeum lib. 4. cap. 8. D Seruius ligustrum florem esse ait candidissimum, sed vilissimum. Quidam liliū album, alij conuolutolum, & Arabicum alcainum. Ligustrum verò, ut ipse sentio, est arbor parua, foliis oleæ similibus, floribus candidis, racematim Maio mense turgentibus, semine primū virente, deinde temporis processu nigro, à quibusdam Italiæ partibus adhuc nomen seruans. Ianus, & Beroaldus, Dioscoridis, ut par est, eruditione moti, eandem cum cipro arborem existimarunt: cum tamen hæc inter se diffideant. Nec Dioscoridem verba hæc, Romani ligustrum dicunt, scripsisse, vnquam mihi persuadere potui. VACINIA NIGRA) Ex hyacinthis quidam sunt albi

albi, quidam ferruginei, ut produnt eruditi, id est, cærulei: quo argumento cæli colorem hyacinthinum quidam appellant. Vacinium Romani dicunt florem hunc, etiam si Seruium in eo lacerant nostri. Vacinia Maroni vocari nigra, scientissimi interpretantur, ea ratione, quæ & purpuream violam dicunt nigram poetæ. Nigra igitur, quia ad nigrum colorem accedit ferrugineus, seu cæruleus, ad pallorem luteus. Rhodigin. lib. 27. cap. 26.

Non est dubitandum, nec quærendum sollicitè, quid vacinium sit, inquit, Turneb. lib. 12. cap. 7. hanc enim totam litem Maro diremit, qui quod scripsit Theocritus, καὶ τὸ τοῦ μέλανος, καὶ ἀγροῦ ἀκινθός, ita verterit, *Et viola nigra sunt, & vacinia nigra.* Proinde de hyacintho intelligamus. Expetebatur autem tingendo purpureo colori vacinium.

Brodæus lib. 4. cap. 18. hæc habet. Nonnulli vaciniū exponunt arborem, quæ ad aucupia seratur: hyacinthos plerique, & baccas ligustri. Quot homines, tot sententiæ. Ego vacinia mora agrestia esse dico, quæ à rubo sentis producta, ad tingendas seruorum, plebisq; vestes olim legebantur. *QVAM DIVES PECORIS NIVEI* Multis deinceps versibus Corydon suas opes dilaudat, quæq; in Alexin paratus sit conferre præmia, quanquam rustica, omnia diligenter enumerat. Idem Galatæa facit Polyphemus lib. 13. Metamorph. Sed longè latius. Puto Ovidium hunc Maronis locum dilatare, seseque maximi vatis, ut aliàs non rarè, studiosum imitatore ostendere voluisse. Ergo versus ipsos adducemus prius: deinde, quid Virgilius sibi velit, considerabimus.

*Sunt mihi pars montis vino pendencia saxo
Antra, quibus nec sol medio sentitur in æstu,
Nec sentitur hyems: sunt poma grauantia ramos:
Sunt auro similes longis in vitibus uua:
Sunt & purpureæ, tibi & has seruamus, & illas,
Ipsa tuis manibus syluestri nata sub umbra
Mollia fraga leges: ipsa autumnalia corna,
Prunæq; non solum nigro linentia succo,
Verum etiam generosa, nouasq; imitantia ceras.
Nec tibi castanea me coniuge, nec tibi deerunt
Arbutiæ fetus: omnis tibi seruiet arbor.
Hoc pecus omne meum est: multa quoq; vallibus er-
Multas sylua tegit, multæ stabulantur in antris. (rant,
Nec si forte roges, possim tibi dicere quot sint:
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris, præsens potes ipsa videre,
Ut vix sustineant distentum cruribus uber.
Sunt fetura minor tepidis in ouilibus agni,
Sunt quoque par atas alijs in ouilibus hædi.
Lac mihi semper adest niueum: pars inde bibenda
Seruatur, partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciae faciles, vulgataq; tantum
Munera contingent: dama, leporesq; capraeq;
Parq; columbarum, demptus ve cacumine nidus.
Inueni geminos, qui tecum ludere possint
Inter se similes, vix ut dignoscere possis
Villosæ catulos summis in montibus vrsa.
Inueni, & dixi, domina seruabimus istos.*

Denique & hæc, quæ produxi, & quæ ibidem mox sequuntur, ex hac Ecloga profluxisse, nemo iure dubitauerit. Illud *niuei* ad utrumque, ad pecus, inquam, & ad lac referri aptè potest. Si ad pecus, tum quiddam maius, & gloriosius dicit: esse videlicet se diuitem pecoris, quod magnus erat, neque id tantum, sed quod miræ cuiusdam felicitatis est, candidissimi. Apud Horat. lib. 1. Ode 3. persimilem ἀμυγδαλίαν inuenias.

*Nanis quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.*

Coniungi enim potest vox *debes*, cum, *finibus Atticis*, & cum verbo, *reddas*.

Vrsinus vocem *niuei*, ad *lactis*, referri malè existimat: nimirum aliquot aliorum testimonijs. Tibull. *Et niuei lactis pocula mista mero.* Athen. lib. 2. Κλέαρχος φησὶ τὸ μὲν ὕδωρ, ὡς περ καὶ τὸ γάλα, λευκὸν λέγεσθαι, οἶνον δὲ, καὶ θάπερ καὶ τὸ νέκταρ, ἐρυθρόν. Cratinus ἐν ὀδυσσεύσιν, ἐπὶ πανημέσιος χορῆσιν ὁ γάλα λευκόν. Varro in satyra Andabata, seu Andabata, si modò illa inscriptio mendo vacat,

*Candidum lacte papilla cum fluit, signū putant partus,
Quod hic sequatur mulierem è partu liquor.*

Hæc Vrsinus. Vitasset ambiguitatem Virgilius, si hoc modo scripsisset, *Quam dives niuei pecoris.* MILLE MEAE SICVLIS. E. I. M. A) Imitatione Theocriti. Theocritus enim Siculus, Syraculanus, cuius in Bucolicis amulus est Maro, scenas Idylliorum suorum in Sicilia ferè fingit, quæ pecore abundabat. Turneb. lib. 12. cap. 7. & lib. 30. cap. 14. * Errare hic est vagari pascere, pascendo liberè vagari. Eclog. 1. scriptum etiam de bobus. Ille meas errare boves Permisit. *Æneid.* 1. tres litore ceruos Prospicit errantes.

Et hunc, & tres consequentes versus ex illis Idyll. 22. effinxit Maro.

*Ἀλλ' ὧντος τοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω,
Κῆκ τέτων τὸ κρείττον ἀμειψόμενον γάλα πίνω,
Τυρὸς δ' ἔλπει μ' ἔτ' ἐν δέρε, ἔτ' ἐν ὀπώρῃ,
Οὐ χειμῶνος ἀπὸρ. τὰρ σοὶ δ' ὑπεραχθεὲς αἰεὶ.
Συεῖσδεν δ' ὅς τ' ἔτις ὀπίσσω αἶδε κικλῶπων.*

*Verum, mille, licet talis, pecudes ego pascō,
Et præstanti implent mulctra mea pocula lacte.
Caseus haud æstate, autumni haud tempore defit,
Haudq; hyeme in summa: calathi sunt semper onusti,
Haudq; equare potest alius mea sibila cyclops.*

Hen. Steph. quem aliquoties à me nominari, in istis bucolicis & Theocritæis collationibus, sufficit, centies ne ipse quidem velit. A multitudine agnorum, atque ouium ille quoque pastor apud Calpurninum, eclog. 2. laudem quærit.

*Mille sub vberibus balantes pascimus agnos,
Totq; Tarentina præstant mihi vellera matres.*

Alius eclog. 3. à multitudine vaccarum, vitulorumq; se iactat diuitem.

*Quam numerosa meis siccetur buccula mulctris,
Et quam multa suos suspendat ad vbera natos.*

Et Nemefian.

*Quid tibi quæ nosti referam? scis mille iuuenecos
Esse mihi, nosti nunquam mea mulctra vacare.*

E Et de Atlante Rege Mauritaniæ Ouid. 4. Metamorph. *Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas Errabant.* Quemadmodum sua item armenta gregesq; à numero cõmendet Polyphemus, supra demonstratū. Iac. Pont. *LAC MIHI NON ÆST. NO)* Haud ita dispari oratione Calpurnius. *Per totum niueus premitur mihi caseus annuum.* Annotat Seruius, Virgilium multò melius lactis perpetui, quam casei mentionem fecisse, ut Theocritus fecit. τυρὸς δ' ἔλπει, &c. sed quia caseus seruari potest, non mirum si quis omni tempore habeat caseum. Hoc verò laudabile est, si quis habeat lac nouum, id est, colostrum. Addit adhuc, Virgiliomastigem versus hunc malè distinguendo vituperasse, hoc modo

modo. *Lac mihi non astate nouum, non frigore, desit.* Hæc ille. Posset alioqui versus & aliter contrarium sensum accipere, leui cum mutatione, hoc modo. *Lac mihi non astate nouum est, & frigore desit.* SI QUANDO ARMENTA. V. A. D) Scio existimari Virgilium ita esse imitatum hunc versum Theocriti, *οὐκ ἴσθαι δ' ὅς τ' ἔτις ὀπίσσω* ὡς κικλῶται, ut longè superauerit, quod & Amphionis cantuum mentione fecerit, ac nominatim eorum, quibus utebatur, greges quum è pastu euocaret, quasi receptui canens, quia pastores illis cantibus serotinis ceteros totius diei conabantur superare. Sed aliud est, quemadmodum dixi antea, Alexidis, aliud Cyclopi, & quidem Polyphemi personam introducere: adeo, ut fatendum sit, Virgilium, si apud eum Cyclops ita mentionem Amphionis fecisset, decorum minimè seruaturum fuisse: nihilo magis quam si Corydonem villosæ vrsæ catulos Alexidi pollicentem introduxisset.

Fabulantur hunc Amphionem, & Zethum eius fratrem, fuisse Iouis, & Antiopes filios. Reliqua vide apud Seruium, & Natal. Comitem mythol. lib. 8. cap. 15. Fuit Amphion non pastor modò, verum etiam citharædus, & arte musica insignis, de quo Horat. ad Pison.

*Dictus & Amphion Thebana conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda.*

Palephatus in eo fratrem illi Zethum adiutorem adiungit. Cum plerique alij, tum maximè Hesiodus tradit, quod Thebana mœnia Zetus & Amphion citharæ sono struxerunt. Existimant verò quidam illis ipsis citharizantibus lapides sponte sua mœnia inscendere solitos fuisse. Reuera tamè hoc ita res habet. Citharædi Zethus & Amphion perfecti erant, artemq; suam mercede inuitati ostendebant: argentum autem illis temporibus homines cum minimè haberent, iubebant Amphion & Zethus, quod si quis eos citharizantes audire vellet, pro præmio ad murum construendum accedens, in eo sese exerceret: neq; enim lapides ibi citharæ sonum audituri stabant, nec sine ratione aliquâ homines etiam dicere cōsueuerant, lyrae beneficio Thebanum murum constructum fuisse. Hæc Paleph. lib. 1. de fab. nar. nō cred. ARMENTA) Armentum de maiori pecore, de equis, & bouibus, quod hæc animalia apta sint armis, ut scutis bouum coria, equi prælio: grex de minore dicitur, ut de capellis, ouibus, porcis, ceruis, teste Seruio. Probatio sit, quod nunc memini ex Ouid. lib. 6. Metam. *Lanigerosq; greges, armenta, buccera paut.* Et carmen supra recitatum è lib. 4. *Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas, Errabant.* At enim auctoritas hæc, ut alia pleraq; confundit. Quare vocem grex etiam de armento sæpius prolatam cernes. Certè Cic. in quadam Philipp. greges armentorum, & Sueton. in Iulio, cap. 8. equorum greges, dixit. DIRCÆVS) Dirceus Thebanus, à Dirce fonte. Strabo lib. 9. & Euripid. in Bacchis. Brodæus. lib. 2. cap. 8. IN ACTÆO ARACYNTHO) Zethus, & Amphion à pastoribus educati fuerunt, & pecus sæpe pauerunt adolescentes. Aracynthum montem Atticæ dixit Sequester: sed potuit latius aliquando longiusq; patere Actæ nomen, ut quemadmodum Megaris, sic magna pars Bœotia, quod littoralis terra esset, eo nomine censeretur Turneb. lib. 30. cap. 14.

Ego opinor, inquit Vrsinus, actæo dictum *παρθαλασσίω*. Sic etiam Actæam aliquando Atticam appellatam, *ὑπὸ τῆς ἀττικῆς*, indeq; Atticam dictam verus auctor etymologiarum arbitratur, qui & Callimachi hemistichium adducit *ἀττικὴν τῆς ἐναυῆς*. Mirum autem non est, Virgilium actæo pro *παρθαλασσίω* dixisse, cum alibi actam pro ipso etiam littore dixerit.

Idem sentit Brodæus lib. 2. cap. 8. additque: Ara-

Acynthus autem mons est, ut Propert. lib. 3. ac Stephano placet, Bœotia, ut Virgilio, & Vibio Sequestro, Atticæ. Tanta porro est earum prouinciarum vicinitas, tam cōfines agri, ut si leuia hæc ad amussim examinare tentes, magnam poetis iniuriam facias. Fateor alterum esse Aracynthum in Acarnania (non Arcadia, ut mendosè apud Vibium excusum est) aliamq; ibi Actam, de qua tamen Virgilium sentire non puto.

Sequitur Germani sententia. Propert. lib. 3. eleg. 14.

*Prata cruentantur Zethi, victorq; canebat
Pæana Amphion rupe Aracynthe tua.*

Qui locus facit, ut ab interpretum sententia discedam. Malo enim Aracynthum Actæum, ut Propert. saxosum, & petricosum, nimirum ut rupem, & scopulum, ut Græci *ἀκτὴν* vocant, non solum littoralem oram, & regionem, *ἢ παρθαλασσίον*, sed & τόπον πετρώδη, ἀπὸ τῶ περι αὐτὸν ἄγρῳ, ὃ δὲ ῥήγνυται, καὶ περικλάσται τὰ κύματα. Vnde apud Homerum *πρώτην ἀκτὴν ἰθάκης ἀφικναι*: & ἀκτὴ περὶ ἧς promontorium, seu scopulus: & ἀκταί, inquit Ammonius, sunt loca maris petricosa, ut *ῥίνας* arenosa. Seruius Actæum littoralem explicat. Ego malo cum Propertio & littoralem, & saxosum simul, & rupem interpretari. Docet autem Eustathius, Athenienses *ἰωνας, ἰάονας, ἀττικὸς, ἀκταίς, καὶ ἡ ὅλην ἀκτὴν, ἢ ἀκταίαν κικλῆσθαι*.

Alciatus Parergon iuris lib. 5. cap. 4. Actæum dici per metalepsin arbitratur, quod ibi, sicut Athenis, Minerva coleretur, quæ Stephano auctore Aracynthias dicta est. Vnde & Rhiani carmen. *Κλῆθ' μοι ἐν χάσιν ἀρρακυνθίας ἐν πατέρῃ.*

Mirum cupiam videri posset, cum apud Theocritum tantum dicat Polyphemus, se fistula canendi peritia ceteros cyclopos superare, Seruium tamen epitheton Actæo Theocriti imitatione velle excusare, tanquam alioqui reprehendendum. Postquam enim dixit, plerosq; Actæo intelligere Atheniensi, non quod Aracynthus apud Athenas sit, sed ut ostendatur rustici imperitia, addit: Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter, quam res habeat, dicit. Intelligendum est igitur, Virgilium hinc eam simplicitatem imitari, quam Theocritus alibi expresse: & Seruium libertatem eam simplicitati illi tribuere, multa aliter, quam res habeat, dicendi. Subiungit enim, hac ratione potest & Oaxis Cretæ fluuius accipi: quum Oaxis sit Mesopotamiae.

Quod superest, nota in hoc versu concursus vocalium, quem Cicero hiatum vocat, & vocales ipsas hiare dicit. Quæ si se collidunt, extruduntq; è versu altera, ea tum ademptio, tū extrusio rectè nominabitur, non minus fortasse explosio. Reliqua lege à me posita ex Actio Iouiani, super illo versu 1. Georg. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* NEC SVM ADEO INFORMIS PER ME) Theocrit. Idyll. 6.

*Καὶ γὰρ θῆν' ἐδ' εἶδος ἔχω χαλκόν, ὃς με λέγοντι,
ἢ γὰρ πρὶν ἐσ' ὄντοιν ἐσέλεπον' ἢ σ' ὅ γαλάν.*

Observatione dignissimum, Virgilium post illa verba, *Nec sum adeo informis*, maluisse relinquere lectori aliquid subaudiendum, quam orationem implere: quod plus gratiæ habere videretur ea, quæ esset ita imperfecta, ut cuique facillè esset perficere, etiam non conferendo cum Theocrito. Possit sic impleri: *Nec sum adeo informis, quam vulgò me esse loquuntur.*

Legitur in eundem sensum apud Calpurnium in Bucolicis, *Fontibus in liquidis quoties me conspicio ipse.* Admiror toties. Et apud Nemelianum, *Quin etiam fontis speculo me mane notavi.* Vrsin. * Tu hu addes Ouidij de Polyphemo, lib. 13. Metam.

Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam,
Et spectare feros in aqua, & componere vultus.

Et rursus.

Certe ego me noui, liquidaq; in imagine vidi
Nuper aquar, placuitq; mihi mea forma videnti.

Socratem philosophum scribit Apuleius Apol. 1. speculo (quod mirum fortasse videatur) ad morum disciplinam esse usum. Quippe suasisse discipulis fertur, crebro vt semet in speculo contemplarentur, vt qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret. Qui vero minus se commendabilem forma putaret, sedulo operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret. Atq; hæc Apuleius, dum se contra Æmilianum aduersarium tuetur, qui ei inter cetera obiecerat, quod philosophus speculum consuleret. Nonnulla quæ ibidem de speculi laudibus perquam scite differuntur, huc adscribam.

An tu ignoras, nihil esse spectabilius homini nato, quam formam suam? Equidem scio & filiorum chariores esse, qui similes videntur: & publicitus simulachrum suum cuique, quod videat, pro meritis premio tribui. Aut quid sibi statua & imagines varijs artibus effigiatæ volunt? nisi fortè quod artificio elaboratum laudabile habetur, hoc natura oblatum culpabile iudicandum est, cum sit in ea vel magis miranda & felicitas, & similitudo. Quippe in omnibus manu faciendis imaginibus opera diutius sumitur, neque tamen similitudo æquè ac in speculis compareret. Deest enim & luto vigor, & saxo color, & pictura rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide similitudinem repræsentat. Cum in eo visitur imago mirè relata, vt similis, ita mobilis, & ad omnem nutum hominis sui morigeræ: eadem semper contemplantibus æquæ est, ab ineunte pueritia, ad obeuntem senectam tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat, tot vultus eiusdem lætantis, vel dolentis imitatur. Enimvero quod luto fictum, vel ære infusum, vel lapide incisum, vel ceræ inustum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio adsimulatum est, non multa intercapedine temporis dissimile redditur, & ritu cadaueris vnum vultum, & immobilem possidet: tantum præstat imaginis artibus ad similitudinem referendum, leuitas illa speculi fabra, & splendor opifex.

Seneca quoque Natural. lib. 1. cap. 17. specula esse tradit inuenta, vt homo ipse se cognosceret. Multa, inquit, ex hoc consecuta, primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium: formosus vt vitet infamiam, nec Libycis se vitiorum syrtibus adobruat: sed fauentibus dijs hominibusq; stiuam, quod dicitur, teneat: deformis, vt sciat virtutibus redimendum, quidquid corpori defuerit. Amplius, vt iuuenis flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia agendi: senex vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Sed & natura facultatem vel inopi est impertita seipsum videndi: fons cuiq; pellucidus, aut leue laxum imaginè reddit. Hinc illud Maronis. *Nuper me in littore vidi, Cum placidum ventis staret mare.* Qualem fuisse cultum putas, ad hoc speculum sese comentium? Ætas illa simplicior, & fortuitis contenta, nondum in vitium bene-

A ficiū detorquebat, nec inuentū naturæ in libidinem, luxumq; rapiebat. Primò faciem suam cuiq; casus ostendit: deinde cum in situs sui mortalibus amor, dulcem aspectum formæ suæ faceret, sapius eò despexere, in quibus potius effigies suas viderent: & quæ sequuntur, non insuauia ad legendum de ortu & incremento speculorum, eodem cap. 17. inquam. Vide insuper Lucianum in Alcyone, & dialogo Doridis & Galatæ, Tom. 4.

Inter exercitationes scholasticorum poetarum ludicras, quæ in Append. Virgiliana visuntur, est etiam imago ex vndis, velut è speculo intuentibus reddita, duobus hexametris percommode expressa. Exemplum vnum atq; alterum accipe.

Hilafij.

*Redditur effigies liquida spectantis in vnda,
Qualis in aduerso speculorum cernitur orbe.*

Vitalis.

*Exprimit oppositas immobilis vnda figuras,
Lenati quales speculi nitior ipse remittit.*

Nec dubium est, quin omnes huius sui lusus occasionem hoc Maronianum carmen habuerint, *nuper me in littore vidi, Cum placidum ventis staret mare*: cuius vnū sensum aliter, & aliter, mutatis verbis efferre nisi sunt. Super eodem carmine en quid dicat Seneca, Natural. lib. 5. cap. 1. Nunquam aer tam immobilis est, vt non in aliqua sit agitatione. Sic tranquillum mare dicitur, cum leuiter commouetur, nec in vnā partem inclinatur. Itaq; si legeris. *Cum placidum ventis staret mare*: scito illud non stare, sed succuti leuiter, & dici tranquillum, quia nec huc, nec illuc impetum capiat. (Pro dici, legitur in vetustioribus, duci, sequente puncto. Deinde, Tranquillum est.) Idem & de aere iudicandum est, non esse vnquā immobilem, etiam si quietus sit. Neptunum græcis Posidona nuncupatum tradit Fulgentius lib. 1. quasi *ποσειδάων*, quod latinè facientem imaginem dicimus: illa videlicet ratione, quod istuc solum elementum imagines in se former spectantium, quod nulli alij ex quatuor competat elementis. Obserua lector, mare vocari elementum, quia mare maior pars elementi, quod aqua dicitur. Et quidem pastor hic sese in aqua contemplatus non deformem vidit: contra Minerua deformem. Cum enim tibia in deorum epulis cecinisset, & buccas eius tumentes dii risissent, proficiscens ad Tritonem paludem, ibiq; dum canit faciem suam inflatam aspectans, commota turpitudine, tibiam abiicit. Iacob. Pont. *NON EGO DAPHNIM. I. T. M.* pro enumeratione singulorum, quæ apud Theocritum Idyll. 6. Dæmetæ suum vultum in aqua contemplanti pulchra videbantur, Virgilianus Corydon non aliud, quam ostendit, se bonam spem de sua forma concipere: quippe qui dicat, se non metuere, ne Daphnis formosior, vel ab ipso Alexide iudicetur.

O tantum libeat mecum tibi fordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere ceruos,
30 Hædorumq; gregem viridi compellere hibisco.
Mecum vnā in syluis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit: Pan curat oues, ouiumq; magistros.
Nec te pœniteat calamo triuisse labellum:
35 Hæc eadem vt sciret, quid non faciebat Amyntas?

O TANT. LIB. M. T. SORD. RVRA) Huc allusum à Calpurnio eclog. 2. *Ne contemne casas, & pastoralia tecta.* Seruat decorum Virgilius, conuenienter instituto suo,

de quo diximus ante Symbolas Eclogæ primæ ex Hen. Stephano, & Modicio. Rusticius aliquid Polyphemus apud Theocritum, qui agrestiores pastores inducit, minusq;

minusq; attendentes quid dicant. Ergo ille Idyll. xi. quod A crassitudine, vocum mutatio querebatur longitudine, & breuitate. Turneb. lib. 12. cap. 14.

Ποιμαίνον δ' ἐθέλοισ' ὅν ἐμιν ἄμα, καὶ γὰρ ἀμείλιχον,
καὶ τρεῖς παῖδας τὰ μισθὸν δειμνέαν ἐνείσα.
O utinam cupias mulgere, & pascere mecum,
Cogere caseolos, dare lenta coagula lactis.

FIGERE CERVOS) ἐλαφιστολάν vno verbo Græci. Nec mihi furcas innuere videtur: tum quod Græcis ἐλάφους βάλλειν familiare est: tum quod Geor. 1. Auritosq; se- qui lepores, & figere damas. [Sibi poëta inter labores rusticos e- tiam venatum, & aucupia numerat] etiam si non dubium, cervos furculas dici, quibus sustentantur retia, & plaga- rum maculosa laxitas intenditur: quæ ἐλάφους Græcis, & σχαλίδες, vnde σχαλιδῶσαι, &c. German. MECVM VNA IN SYLVIS. I. P. C.) Si modò dignetur habitare secum, nec cōtemnat vitæ genus humile, perfecturum se spon- det, uti secum Pana canendo imitetur, id est, excellen- tissimè canat, quemadmodum & ille, qui primus fistu- lam inuenit. Ad cantum Panos, & inuentionem fistulæ quæ mox ei tribuitur, respicit Nemesian. eclog. 1. Nam te calamos inflare labello Pan docuit. Ibidem infra.

Namque fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibusq; Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent.

Iac. Pont. PAN PRIMVS CALAMOS. C. C. P.) Sic Eclog. 8. Panaq; qui primus calamos non passus inertes. Ipsemet apud Nemesian. eclog. 3. nulli fas est inflare cicutas, Quas ego Menalijs cera coniungo sub antris. Vetus fistula se- ptem compacta cicutis, vel auenis cera iunctis erat: quarum series imitabatur organorum, vel hydraularum fistulas. Habebat autē vnaquæq; cicutæ sonum suum di- screpantem ab alijs, ita ut septem calami, septem vocum discrimina redderent. Eas, ut hodie castratores suum fibilarium, labris percurrentes cantus dabant. Vnde Lucret. scripsit lib. 5. Et supra calamos vnco percurrere labro. Iterum de Pane loquens lib. 4.

Et genus agricolū latè sentiscere, cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Vnde & terere labellum dixit infra Maro. Ordo autem is erat cicutarum, ut deinceps, quod ab Ouidio scribi- tur, decresceret arundinis ordo. Nam cum paris essent

Iunius Philargyrius in Notis, Pan, id est, Natura omnium rerum, inuentor est fistulæ. Pan pastoralis deus, per cornua solem significat, & lunam: per fistu- lam, septem planetas stellas: per pellem maculosam cæli sidera: per cannam ventos: per vngulas caprinæ soliditatem terræ. Hic autem natus est Mercurio in a- rietem conuerso, & Penelope vxore Vlyssis. OVIVM- QUE MAGISTROS) Eclog. 3. Idem amor exitium est pecori, pecorisq; magistro. Et Georg. 2. pecorisq; magi- stris Velocis iaculi certamina ponit in ulmo. Et lib. 3. Dul- cibus idcirco fluuijs pecus omne magistri Perfundunt.

Et lib. 4. Tempus & Arcadij memorare inuenta magistri, Aristari subaudi, quem ibidem pastorem vocat. Magi- ster regij pecoris dixit Liuius lib. 1. ab V. C. Varro lib. 1. de re rust. cap. 2. Quocirca principes, qui vtrique rei (agriculturæ, & pastioni) præponuntur, vocabulis quo- que sunt diuersi: quod vnus vocatur rusticus, alter ma- gister pecoris. Columella lib. 7. cap. 3. Quare veterina- riæ medicinæ prudens esse debet pecoris magister. Ho- rat. custodes ouium lib. 4. Ode 12. Et Portius Licinius apud Gell. lib. 19. cap. 10. Custodes ouium, teneraq; pro- paginis agnūm. In epitaph. Culicis Virgil. Parue cu- lex, pecorum custos, tibi tale merenti Funeris officium. Aliter Pana custodem ouium 1. Georg. tutorem, ac præsidem videlicet. Iacob. Pont. NEC TE POENI- TEAT) Cic. 1. Off. tam diu velle debebis (audire Cratippum) quoad te quantum proficias, non pœni- tebit. Et Orat. perf. quæ qualiacunq; in me sunt (me enim ipsum non pœnitet quanta sint) sed apparent in orationibus. Donatus in Heautont. exponit pœnitet, id est, parum videtur, pœnitet enim eum, qui parum putat. Locus Terentij est, At enim dices: me quantum hic operis fiat, pœnitet. Et alibi. nostri nosmet pœnitet. Iacob. Pont. CALAMO TRIVISSE LABELLVM) La- brum septem percurrens cicutas, non poterat non teri, inquit Turneb. lib. 12. cap. 14. Sed quod pace Turnebi dictum velim, videtur hypallage. Teruntur enim pro- priè solida, & potius calamus, seu fistula teritur labris, quam calamo labra terantur. Sic paulò post, te nunc ha- bet ista secundum, ὅππῃ δ' ἀγμέως utique, pro, tu nunc ha- bes istam secundus: ego enim primus habui. Iac. Pont.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens, Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas, inuidit stultus Amyntas.
40 Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ouis vbera: quos tibi seruo.
Iam pridem à me illos abducere Thestylis orat,
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.

SEPTEM COMPACTA CICVTIS) Vtebantur Buco- liaistæ musico instrumento, quam Græci à sibilo σὺνερῆα, Latini ab hiatu fistulam nominant: materia arundina cea, aut à cicutis petita. Singulares primum tubuli, mox bini coherentes lino, & cera. Setas quoq; (ut ad manum essent, quàm linum, magis præstet) pro lino in usu fuisse arbitror. Postremò ad septenos vsque, magnitudine omnes inter se impares, sed proportionem certa, ad alæ figuram. In summo, quo inflabantur, æquales, inequa-

les quæ exit spiritus. Præscripsit & materiam, & modum, & numerum poëta hoc versu. Dispar enim hic non ad numerum: numerum enim designat proxima voce, septem: sed ad quantitatem continuam pertinet. Mate- ria autē declaratur à cicutæ, &c. Scalig. Poët. lib. 1. cap. 4. * Hanc pastoriam fistulam describit Tibullus lib. 2. eleg. 5. Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo, Nam calamus cera iungitur vsque minor, De huiusmodi fistula cera iuncta, cum totidem cannis, Ouidius quoque Metamorph. lib. 4.

Atque

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se iunctis nomen tenuisse puellæ.

Habuit & Martialis in mente, Maronius hunc versum, cum illud
scriberet de fistula, lib. 14.

Quid me compactam ceris, & arundine rides?

Quæ primum structa est fistula, talis erat.

DAMOETAS DONO MIHI) Commendat munus ex
eo, quod hæreditarium datum est, & ex eo, quod inui-
diam meruit. Nam res optimæ & difficile donantur à
viviis, & acceptæ facile merentur inuidiam. Seruius.

* Multa in his Eclogis aliorum quoque spectare, quam verba sonent,
nemo dubitat. Tale quidam credunt & hoc. Virgilium enim Vere-
cundè Syracusano illi bucolista Theocrito, quem studio sissimè imi-
tari contendit, primam palmam cedere, siue (quanquam nonnullis
ringentibus) secundam sibi sumere. Ad imaginem huius, & qui se-
quitur versus, fecit suos Calpurnius eclog. 4.

Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donauit: dixitque, truces hæc fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus Hyblæa modulabile carmen auena.

NEC TVTA MIHI VALLE REPERTI) Non malè
obseruauit Nannius, rei commendationem expericu-
lo, ut infra Aeneid. 7. reliquias Troia ex ardente receptas.
Valles enim, & conualles loca esse insidijs opportuna
solent. DVO CAPREOLI) Capreoli sunt syluestrium
caprarum fœtus, quos perperam aliqui damas nuncu-
pant. In vitibus capreolus dicitur non à capiendo, in
quo Varronem reprehendit Scalig. F. sed lasciuiâ qua-
dam, propter teneritudinem: ut Græci nouellos ramos
vocat *μύσχος*. Simili lasciuiâ palmitem emeritum, dra-
conem vocarunt, siue à squamoso & aspero cortice,
qualis est draconum cutis, seu à longitudine anguinea.
Græci quidquid nouellum dicunt *μύσχος*. SICCANT
O VIS VBERA) Vbera siccare etiam Horat. Ode 2.
Epod.

Claudensq; textis cratibus letum pecus,
Distenta siccet vbera.

- 45 Hucades, ô formose puer. tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, & summa papauera carpens,
Narcissum, & florem iungit bene olentis anethi.
Tum casia, atque alijs intexens suauibus herbis,
50 Mollia luteola pingit vacinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasq; nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna, & honos erit huic quoque pomo:
Et vos ô lauri carpam, & te proxima myrte:
55 Sic posita quoniam suaues miscetis odores.

Columella lib. 10. in Horto.

Et tu ne Corydonis opes desernat Alexis,
Formoso Nais puero formosior ipsa,
Fer calathis violam.

Amabant nymphæ Naides pueros, nam & Hylam ra-
puisse dicuntur. Turneb. lib. 30. cap. 14. * Quod Turneb. hic
ait, confirmat Martialis lib. 6. epig. 68. Ad hoc igitur ipsum omnia
ista de floribus, & fertis pertinent: ex quibus munusculis tam blan-
dis, nympharum propensionem affectumq; in Alexin se intelligen-
mus, res postulat. CALATHIS) Qualum esse vas la-
nificijs aptum, qui Græcè vocatur calathus, traditum
est à veteribus Grammaticis. Cicer. in 3. contra Anton.
ἀποκρίσις quasillum dixit. At verò huius domi inter

ALoquitur & isto modo Plinius lib. 10. cap. 63. de genere
quodam canum, quod dasypodes appellatur. Conci-
piunt quamuis vbera siccante fœtu. Alioqui siccât item
vbera, qui mulgent pecus. Porro locum hunc Maronia-
num haud dubiè, & quidem pro ingenio suo, fusè scili-
cet, ac liberè, imitari voluit Naso 13. Metamorph. quos
versus cum principio huius Eclogæ adduxerim inter a-
lios multos, quibus Polyphemum eius cum Corydone
Virgiliano sententijs concordare ostenderem, quò mi-
nus adducam denuo, nihil opinor, vetat. Sanè sunt per-
iucundi, & perlepidi.

Nec tibi delicia faciles, vulgataq; tantum
Munera contingent: dama, leporesq; capraeq;
Parq; columbarum, demptusue cacumine nidus.
Inueni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis
Villose catulos in summis montibus vrsæ.
Inueni, & dixi, domine seruabimus istos.

Iacob. Pont. IAM PRIDEM A ME ILLOS, &c. ET
FACIET) Theocritus Idyll. 3.

Ἡ μὲν τοι λευκὰν διδυμὰ ἰόντων αἴγα φιλάσσω·
τὰν μὲν δὲ ἀμύρμωνος ἐειδανὶς ἀμελάνοχρος
Αἰρεῖ, καὶ δασυὶ οἱ, ἐπεὶ τὸ μοι ἐνδιαδρύνει.

Hæc carmina non est quidem interpretatus Virgilius:
ad ea tamen duobus hisce versibus, & qui antecesserunt
de capreolis alludit, quod planum est. ORAT ABDV-
CERE) Orat me, ut sibi liceat abducere, cupit sibi à me
donari. Hellenismus est. SORDENT TIBI MVNE-
RA NOSTRA) Sordere cuiquam dicitur, quod illi tan-
quam sordidum displicet: quod illi vile, & despicabile
est: quod nec teruntij facit. Cic. ad Octauium. M. Anto-
nius, cui sordebat Macedonia prouincia. Catull. epitha-
lam. Sordebant tibi villicæ. Martial. lib. 5. in Gelliam.

Dum proanos, atanosq; refers, & nomina magna,
Dum tibi noster eques sordida conditio est.

Iacob. Pont.

quasilla appendebatur aurum. Sic etiam diminutionis
forma calathiscus. Catull. de nupt.

D Ante pedes autem candentis mollia lana
Vellera virgati custodibant calathisci.
Vict. lib. 9. cap. 18.

Abusus est ergo voce ista hoc in loco Virgil. Sed po-
etas verborum licentia liberiores esse, autumat. de O-
rat. M. Tullius. Proprietatem seruauit lib. 7. in extremo,
de Camilla. non illa colo, calathisue Minerue. Fæminas
assueta manus. PALLENTES VIOLAS, ET SYM-
MA. P. CARP.) Flores legere, & corollas nectere pue-
ris, & puellis esse in studio norunt omnes. Horat. Ode
27. lib. 3. de Europa.

D 3

Nupt

*Nuper in pratis studiosa florum, &
Debita nymphis opifex corona
Nocte sublustri.*

Catull. de flore, qui septus secretis nascitur hortis, *Multi illum pueri, multa optantere puella.* Noster Virgil. *Qui legitis flores, & humi nascentia fraga, Frigidus o pueri, &c.* Est ergo florida ætas amica floribus. Iacob. Pont. NARCISSEM) Narcissum præstanti forma adolescentem fuisse, & cum semet in fonte limpidio intueretur, (speculo illo naturali videlicet) intiendo expleri nequiuisset, admirationeque, & amore suimet contabuisse, & in florem sui nominis abiisse, gens poetarum fabulatur; quo figmento *εἰλασίαν* nobis dissuadet. Vide fabulam lib. 3. Metamorph. Lu. in hunc Ausonius.

*Sic cuperes alium, posses Narcisse potiri,
Nunc tibi amoris adest copia, fructus abest.*

Multò autem venustius ille, Pentadium volunt.

*Hic est ille, suis nimium qui credidit undis,
Narcissus vero dignus amore puer.*

*Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Vt per quas perijt, crescere possit, aquas.*

Idem sanè argutè admodum.

*Se Narcissus amat, captus lenonibus undis:
Cui si tollis aquas, non est ubi saniat ignis.*

De Narcisso hoc, & Hiacynto eleganter Claudianus lib. 2. de raptu Proserpinæ, ubi eam cum comitibus flores pulcherrimos legisse dicit.

*Te quoq; flebilibus marens Hyacinthe figuris,
Narcissumq; metunt, nunc inclita gramina veris,
Præstantes olim pueros, tu natus Amyclis:
Hunc Helicon genuit, te disci perculit error:
Hunc fortis decepit amor, te fronte retusa
Delius: hunc fracta Cephissus arundine luget.*

Fabulam vt absurdam irridet Paulan. in Bæoticis, ubi aliud quoq; de eodem cōmentum narrat. Iacob. Pont. LVTEOLA CALTHA) Quærunt Grammatici, quod hñc coronamentum sit caltha. Et conuenit è Plinio lib. 21. cap. 6. esse violæ genus, quod tamen non perinde notum est. Ego reperio in antiquo Lexico, caltham esse buphthalamon, cuius luteum esse florem omnibus ferè constat. Eo in libro etiam reperi, vacinium, de quo ta-

Amen liquet, esse anthusam, & hyacinthum. Turneb. lib. 19. cap. 22.

Lutum, priore longa, est color luteus, quali colore est ouorum vitellus. Et luteus color est rubicundus, siue croceus. Eodem verbo rursus vititur Virgil. in Pollio- ne, *croceo mutabit vellera luto*, pro croco luteo, vt vult Seruius. Horat. Epod. Ode 10. *Tibi pallor luteus.* Lucret. lib. 4. *Et vulgò faciunt id lutea, rursaq; vela.* CANA TENERA LANVGINE MALA) Periphrasin aiunt esse malorum cydoniorum, seu cotoneorum, ex adiuncta canicie: sunt enim præstantissimi odoris, quæ sunt candida. Plin. lib. 21. cap. 6. Poma lanata peculiari nomine dicta, inquit Plinius, quod obducta lanugine essent super ipso cortice, quemadmodum struthia, & persica. Græci quoque à lanugine quoddam genus chnodia nominant. CASTANEASQUE NUCES) Non est obscurum, nucem generatim de omnibus dici, quæ duro operimento teguntur: pomum autem de ijs propriè, quæ molliorem, & tenuiorem corticem habent. Sic Græcis *κάρνα*, & *κεῖδνα* generaliter accipiuntur. *κάρνα* quidem *σπῆτις καρσέας*, capitis grauedine, quam concitant, vt nuces à nocendo Grammatici ducunt. German.

Nux castanea vocatur etiam Heracleotica. Nam vir doctus Oppius, in libro, quem fecit de syluestribus arboribus, sic ait: Heracleotica hæc nux, quam quidam castaneam nominant. Macrob. Saturnalium lib. 3. cap. 18. quod est de nucum generibus. MEA QVAS AMAR. AMABAT) Castaneis nucibus en qualem laudem addat, vt ex eo illas Alexidi commendat, planè ineptam, & amatoriam: quia, inquit, Amaryllis mea illis delectabatur. Hic enim amatoribus mos est, vt ament, & admirentur, quæ amatis placent, tametsi nullo amore & admiratione digna sint. Ita Cupido & ipse cæcus est, & alios cæcos facit. Iacob. Pont. ADDAM CEREÀ PRUNÀ) Flaua pruna sunt, quæ in delicijs fuisse videntur. Ouid. 13. Metam.

*Primaq; non solum nigro liuentia succo,
Verum etiam generosa, nonasq; imitantia ceras.*

In epigrammate Maroni attributo eorum est mentio. *Sunt autumnali cerea pruna die.* Turneb. lib. 30. cap. 14. ET VOS O LAVRI) Ramum laureum puta. Sic, *te proxima myrte*, ramum de myrto. Causa indicatur.

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis:

Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.

Eheu quid volui misero mihi? FLORIBVS AVSTRVM

PERDITVS, ET LIQVIDIS IMMISI FONTIBVS APROS.

60 Quem fugis ah demens? habitarunt dij quoque sylvas,
Dardaniusq; Paris. Pallas quas condidit arces

Ipsa colat: NOBIS PLACEANT ANTE OMNIA SYLVÆ.

RUSTICVS ES CORYDON. N. M. C. A) Seipsum castigat. Ipsa autem castigatione nos prudenter docet, nimirum à pauperibus, humilibus, obscuris quæ offeruntur munera diuitibus, nobilibus, & opulentis, solere plerumq; vt indigna despici: non quod illi nulla curent munera: sed quod talia non curent. Alioqui quomodo verum sit, quod est verissimum, illud Ouidij?

*Munera, crede mihi, placant hominesq; deosq;
Placatur donis Iupiter ipse datis.*

Sunt & hanc ob causam parum grata tenuiorum dona locupletibus; quod multò amplius sibi quiddam rependi videntur desiderare: & hoc in donante odiosum est, quoniam dona debent esse gratuita. Rectè igitur Euripides.

*Οὐ βόλομαι πλατύνει δωρεῖσθαι πένης,
Μὴ μ' ἀρεσνα κείνης, εἰ δίδουσι αὐτὴν δοκῶ.*

Tale genus hominum, quamuis pretiosa donet, reprehendit ad Nicoclem Isocrates in Parēnesi illa βασιλική. Qui vobis, inquit, regibus aduehere vestes solent, aut æs, aut aurū factum, aut aliquid aliud eius generis, quo & ipsi egent, & vos abundatis, hos (vt mihi quidem videtur) plus satis apparet, non largitionem facere: sed mercaturam, suasq; res multò callidius vendere, quàm eos, qui ex professò cauponantur. Prius hemistichium in prouerbij numerari poterit, valebitque cūm quempiam humilis suæ conditionis, & modestiæ admonebimus: ne altius semet efferat, & montes aureos somniet. Altiora te, ait Sapiens, ne quæsieris: & fortiora te, ne scrutatus

scrutatus fueris: sed, quæ præcepit tibi deus, illa cogita A
semper. Iacob. Pont. NEC CONCEDAT IOLAS) Inter reliquas opiniones refert Seruius, Alexin fuisse puerum Augusto Cæsari charum. Id si verum est, eleganter Virgilius Iolam sibi riualem fecit. Ego enim per Iolam Iulum intelligo, nimirum Augustum Cæsarem, qui ab Iulo originem suæ gentis trahit, ac proinde ambitu munerum cum eo certari non posse. Nec admirationi esse debet, si poeta in personis suis nomina non nihil à vero declinet, vt bucolicam conditionem accipiant. Quid enim Iulius faceret in re pastoritia, aut Alexander? hoc enim est verum nomen Alexidis. Heroica sunt ista vocabula, nihil apta pastoritijs casis. Est alioqui familiare poetis (vt habet Apuleius in Apologia) amicorum, amicorumque nomina non nihil inflectere, seruato ferè numero syllabarum. Sic Clodia à Catullo Lesbia dicta est. Sic Hostia à Propertio Cynthia. Sic Plania à Tibullo Delia, Nemesis, Iulia ab Ouidio Corinna. Nannius lib. 6. cap. 4. Vide quæ præterea diximus Synop. Eclog. 10. EHEV, QVID VOLVI MISERO MIHI) Quam aptè, quam verè, quam etiam bellè sese obiurgabunt hîc carminibus, qui malis cupiditatibus, potissimum autem meretricijs illis, purissimum pectoris sui, pulcherri-
mumq; florem, tanquam flatibus ventorum decutien-
dum, & fontem illum cordis sui, quem omni custodia
seruare iubemur, quoniam ex ipso vita profluit, tanquã
suibus turbandum obiecerint. Iacob. Pont. FLORI-
BUS AVSTRVM) Austrum hic aliquando non ventum
intellexi, sed vas, quo aqua hauritur, cum etiam Auster,
ab hauriendo aqua, à Grammaticis dici scribatur. Qui
autem vas floribus immittit, vt imprudentes olitores,
flores opprimit, & conculcat. Nunc credo illud subti-
lius, quam verius excogitatum esse, & de vento Austro
interpretor, cuius aura calida, & æstuosa statim langue-
scunt flores pulcherrimi. Papinius lib. 3. Sylu. Pubentesq;
rose primos moriuntur ad Austros. Valerius Flaccus lib. 6.

*Liliæ per vernos lucent velut alba colores,
Præcipue queis vita brevis, totusq; parumper
Floret honor: fuscis etiam Notus imminet alis.*

Turnebus lib. 12. cap. 7. FONTIBVS APROS) Du-
bium non est, quin hæc ad prouerbiorum classem per-
tineant, fontibus apros, floribus Austros, ob violentiam.

Chiliad. Rursum alibi. Qui sibi accersit, optatue
perniciem allatura, in hunc quadrat istuc Virgilianum,
& liquidis immisi fontibus apros. Neq; enim id sine pro-
uerbij specie dictum apparet: siquidem apri non tan-
tum bibunt è fonte impressis pedibus, verum etiam vo-
lunt sese. QVEM FVG. AH DEM.) Arbitror èνάρχας
av fore maiorem, si ita interpungas. Quem fugis? ah de-
mens. habitant, &c. HABITAR. DII QVOQVE SYL-
VAS, DARD. PARIS) Vitam rusticam non esse fugi-
endam, exemplo heroum, ac deorum monet. Apollo
quidem Admeti regis armenta pavit in syluis, Liber,
Venus, Luna, Iupiter, vt est in bucolisco Theocriti, in
syluis versati sunt. Paris expositus, & à pastore repertus
in syluis, inter pastores educatus est. Nemesianus.

*Dij pecorum pauere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.*

PALLAS QVAS CONDIDIT ARCES) Catullus de
nupt. Diua quibus retinens in summis urbibus arces. Mi-
nerua ædificiorum, vt Oppianus scribit, inuentrix fuit:
& proinde ex ædificijs urbium. Urbes ergo, quas ipsa
condidit, ipsa incolat. Ipsa etiam πολίχθ, & πολιὰς, &
ἐρησιπόλις cognomento, vt urbium tutela colebatur,
quarum & præses est: & in arce templum Athenis ha-
bebat. Sed Oppiani verba nostram sententiam confir-
mantia proferamus.

*Δῖα δὲ τεκνίνα δαι, ἀναστῆσαι τε μέλαθρα,
Φαίει δ' ἄσκησαι μῆλων ἐνανθεί κερπῶ
Παλλὰς ὀπιχθόνιος ἐδιδάξατο.*

Arcium tantum meminit Maro, quod in ea urbium par-
te ei solebant templa fieri. Phurnutus de ea, ἰδρυται δὲ ἐν
ταῖς ἀρεσπόλεσι μάλιστα. Declarat ei quoque templum in
editissimis locis, & arcibus solitum poni Vitruuius lib. 1.
cap. 7. Edibus verò sacris, quorum deorum maximè in
tutela ciuitas videtur esse, & Ioui, & Iunoni, & Mineruæ
in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars con-
spiciatur, aræ distribuuntur. Hic (vt & hoc interim mo-
neam) trium illorum deorum mentionem facit Vitru-
nius, qui urbi Romæ censebantur præsidere. Turneb.
lib. 12. cap. 7. NOBIS PLACEANT. A. O. SYLVÆ) Cum
quis mediocritate sua in re quapiam se valde con-
tentum, & in ea acquiescere, nec aliorum in eo, alioue
genere beatitatem excellentiamq; admirari, & concu-
piscere significabit, ioculò his verbis vtatur. Iac. Pont.

Torua leana lupum sequitur, lupus ipse capellam:

Florentem cytisum sequitur lasciuia capella:

65 Te Corydon, ô Alexi. TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS.

Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuueni,

Et sol crescentes decedens duplicat umbras:

Me tamen vrit amor. Quis enim modus adsit amor?

AH CORYDON, CORYDON, QVÆ TE DEMENTIA CÆPIT?

70 Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget vsus,

Viminibus, molliq; paras detexere iunco?

INVENIES ALIVM, SI TE HIC FASTIDIT ALEXIS.

TORVA LEANA LVPVM) Theocritus Idyll. 10.

*Ἀ' αἰετὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
Ἀ' γέρον τῶ εστὲν ἐγὼ δ' ὅπ' τιν μεμάνημαι.*

*Sima capella suum cytisum, lupus ipse capellam
Insequitur semper: sic & grus semper aratrum:
Te contratorus meus est furor.*

Hoc nomen leana, licet veteres latinum negent, au-
thoritate tamen valet. Dicebant enim leonem mascu-
lum, & fœminam, vt Plautus in Vidularia. Nam audini
fœminam ego leonem semel parere. Cicero de Gloria
lib. 2. sic ait: Statuerunt gloria leana. Leam verò Varro
ad Ciceronem dicit lib. 3. sicut nocet panthera, & lea.
Philargyrius, cuius extant Notæ in Virgil.

Torua

Torna, epithetum ab oculorum sauitia, quæ summa A lo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas amantibus reuelantur, trahunt (quoniam verum est, *trahit sua quemque voluptas*) non trahit reuelatus Christus à patre? Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem? *ASPICE, ARATRA IVGO.* R. s. 1) Quod spectaculum rustico periucundum est (vt alia multa in vita illa agresti, de quibus Horat. Ode 2. Epod.)

Videre fessos vomerem inuersum bones

Collo trahentes languido.

Iacob. Pont. *QVIS ENIM MODVS ADSIT AMORI?* Terent. Eunuch.

Here, quæ res in se neque consilium, neque modum

Habet vllum, eam consilio regere non potes.

Querimonia Corydonis est, de perseueranti incendio. Et addit, amorem carere modo. Est ergo infans, & stultorum proprius, qui mensuram, tam valde à sapientibus laudatam ignorant. Tantummodo deum diligendi modus est, vt sine modo diligas. Et illud Propertianum ad hunc ipsum caelestem amorem, ardoremque suauissimum ac beatissimum accommodato, *Verus amor nulum nouit habere modum.* Iacob. Pont. *AH CORYDON CORYDON.* Q. T. D. C) Theocrit. Idyll. II.

Ω κύνλωψ κύνλωψ, πᾶτας φρένας ἐκπεπότησας
Αἰὲν ἐνθὼν ταλάρας τε πλέκοις, καὶ θαλλὸν ἀμάσας
Τοῖς ἀρνεοῦσι φέρεται, τὰ χαλκὸν πολλὸν μᾶλλον ἔχει νῦν.
Τὰν παροῖσαν ἀμείλῃ. Τί τὸν φεύγοντα δῶκεαι;
Εὐρήσεις Γαλάτειαν ἵσος καὶ χαλλίον ἄλλαν.

SEMIPUTATA TIBI FROND.) Profecto dementiae accusandus est, qui relictis vtilibus ac necessarijs, istis se negotijs leuissimis, nugis inquam amatorijs dedit. Qui autem amat non respondentem, cõtemnentem etiam, & refugientem penitus, cum dupliciter stultum Terentius statuit in Hecyra.

Nam qui amat, cui odio ipse est, bis facere stultè dico.

Laborem inanem ipse capit, & illi molestiam affert.

Iacob. Pont.

Sic infra *Æneid.* 4. in Didonem, æstro amoris percussam. *Non capta assurgunt turres, non arma inuentus, &c.* tanquam deo illo veterum, & focordiam animis hominum infundente, vt & Theocritus Cyclopi *ἐρωτομανίαν* describens, ἀγέτο δὲ πάντα πάρεργα: nimirum quod tam soluto esset animo, vt totum se ἀνοικονόμητον voluptati daret, & præter libidinem vix ad se cetera, quæque ad vsus domesticos parantur, pertinere putaret. Germ.

Plus est *semiputata*, quam si imputata diceret: tolerabilius est enim non incipere aliquid, quam capta deferere. Hinc est illud in 1. *Æneid.* *mene incepto destitisse vitæ?* Item Georg. 3. *Atque opere in medio defixæ reliquit aratra.* Sanè geminam arguit negligentiam, & quod semiputata vitis sit, & quod frondosa vlmus: nam vtrumque obest. Vnde est Georg. 2. *bis vitibus ingruit umbra.* Seruius. *QVIN TV ALIQVID POTIVS*) Habet pænè eandem vim hoc, quod isto versu dicit Corydon, cum eo quod in Andria Birria seruus prudenter Charinum monet.

Ah, quanto satius est te id dare operam

Qui illum amorem ex animo dimoucas tuo, quam id

Quo magis libido frustra incendatur tua. (loqui

Iacob. Pont. *VIMINIBVS MOLL. PAR. DETEX. IVNCO*) De semet quoque pastor eadem conqueritur apud Nemesian. eclog. 2. quod non huiusmodi quippiam faciat, animo videlicet alia in re occupato.

Ipse ego nec molli iunco, nec vimine lento

Perfeci calathos cogendi lactis in vsus.

INVENIES ALIVM, SI TE HIC) Horat. Ode 10. lib. 3.

Supplicibus

— sic agna lupum, sic cerua leonem,
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columba,
Hostes quæque suos.

LVPVS IPSE CAPELLAM) Prouerbiū est, vt lupus ouem, subaudi amat. De ijs, qui sui commodi gratia simulant amorem. Talis enim amor reuera est odium. Quod eleganti exemplo declarat Paræmiographus. *LASCIVA CAPELLA*) Lasciua capris tribuitur. Horat. Ode 15. lib. 3. *Lasciuia similem ludere caprea.* Ode verò 13. eiusdē libri, hædum appellat lasciui sobolem gregis. *TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS*) Sententia hæc, inquit Scalig. Poet. lib. 5. cap. 5. *trahit sua quemque voluptas*, non solum vellicauit Criticorum calumniam, sed etiam nutantem victoriam adepta est. Concludit enim vagas similitudines vulgata, certaq; hominum opinione. Illi verò ridiculi, qui pastoribus nolunt esse proueria. Quid enim tritum magis, quam illud, *Alia alijs placent?* Theocritus autem proueria tam multa inculcat, tam obscura nonnulla, vt diu sit quæsitæ eorum interpretatio.

Aristoteles lib. 10. Ethic. vbi sententiā Eudoxi enarrat, qui bonum voluptatē censebat, ipse Philosophus temperantissimus, subiicit. *ἐχασον γὰρ τὸ αὐτὸ ἀγαθὸν ἐνείσκην, ὡς περ καὶ τερφῆν, vnumquemque sibi voluptatem, & bonum suum moliri, & inuenire, vt alimentum.* Non absimilis Virgilianæ sententiæ est illa Homeri, Odyss. 5.

Ἄλλο γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ὀπιτέραι εἰργασίῃ.

Namq; alijs alia res aridentq; placentq;.

Eurip. Oeneo. ἄλλ' ἄλλοις μᾶλλον ἡδεταί τεύχεσι. Archilochus. ἄλλ' ἄλλοις ἄλλοις καὶ δὴν ἰαίνεται. Arcestratus. *Χαίρει γὰρ ὁ μὲν τέτοις, ὁ δὲ ἐκείνοις.* Sed multa huiusmodi exempla cum è Græcis, tum è Latinis poetis colligere nihil negotij fuerit. German. Vrsin.

Collegit verò Scholijs in Sallust. Catil. Ald. Manutius, super illud, *Sua cuique satis placebant:* & collegit è Latinis. Lucretius. *sua cuique voluntas, Principium dat, &c.* Terent. Phorm. *Quot homines, tot sententiæ.* Ibid. *sua cuique mos.* Persius lat. 5.

Nulle hominum species, & rerum discolor vsus:

Velle suum cuique est, nec voto vinitur vno.

Statius. *Sua cuique voluptas.* Adde his Ciceronem ad Attic. *Sua cuique sponsa.* Et Plin. epist. lib. 1. *Varia sunt hominum iudicia, variæ voluntates.*

D. Augustin. tractat. 26. in Ioannem, super illis verbis, *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Porro si poeta licuit dicere, *Trahit sua quemque voluptas*, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quanto fortius dicere nos debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? Infra. *Ramum viridem ostendis ouī, & trahis illam.* Noces puero demonstrantur, & trahitur: & quod currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vincu-

— supplicibus tuis
*Parcas, nec rigida mollior esculo,
 Nec Mauris animum mitior anguib.*
*Non hoc semper erit liminis, aut aquae
 Caelestis patiens latrus.*

Vrit hoc superbos, cum se vicissim contemni vident,
 & nihili fieri ab ijs quos ipsi spreuerunt. Est autem leg-
 endum *Alexim*, non, *Alexis*: quae lectio in vetustis ex-
 emplaribus cernitur. Vt non dicat simpliciter, Inuenies
 alium quem ames: sed inuenies alium *Alexim*, si te hic
 fastidit, sicut Theocritus, inuenies aliam *Galateam*.

TOTIVS ECLOGÆ PARAPHRASIS,
 EX TURNEB. LIB.

30. capite 14.

Fingit Maro à Corydone *Alexim* perditè amari, id est, à se;
 cumq; inter syluolas fagos, densq; cacumine vmbrosas ven-
 titare solitum, *Alexin* querentem, in nemoribus fortasse ven-
 nantem. Eo in loco querelam amatoriam, non vt à Marone car-
 mine conditam, & comprehensam: sed temerè oratione soluta ia-
 statam, inani irritaq; studio consueuissè queri. Quid enim ei syl-
 uas voce ciere & lacessere proderat frustra laboranti? non curas, di-
 centem, illa, quae de te tam multa feci carmina: nec te mouet,
 quod aestu diei feruentissimo te per montes syluasq; sequor, tum,

Acum laboriosissimi messorum intermittunt laborem, & moretum
 suum suamq; intritam comedunt. Nec quiescentes, sed dum lustrum
 tua vestigia, & sequor, cicada, quae diei summo calore incitata, ca-
 norum vocalemque querelam suam mecum geminant, arbuta om-
 nia personant. Sati mihi multò fuit, vel *Amaryllin*, vel *Menal-*
cam amare, quam te, quamuis niger sit. Nec enim tantopere can-
 didus color, quo tu inolefcis, expetendus est. Ligustra enim can-
 dida negliguntur: yacinia nigra inficiendo colori purpureo expe-
 tuntur. Multa mihi oues, lactis, hyeme & aestate recentis ingens
 copia. Cano quae consuevit optimus fidicen *Amphion*, cum pecus
 palceret. Formosus quoque sum, quod comperi, cum me nuper
 tranquillo mari spectarem: nec *Daphnidi* cedo, quamuis formo-
 sissimus habeatur. Tantum, mi *Alexi*, ne rus fastidito, ne casus, &
 pastoriam vitam despice: cumque puer sis, ne hœdorum sperne
 gregem, qui teneri teneris conueniunt: illum mecum ad pascua
 compellas licet. Hic tu mecum fistula canes, mecum, qui secun-
 dum *Damœtam* facile reliquis antecello pastoribus, nec mihi æ-
 quari comparariue potest *Amyntas*. Nymphae rusticorum deæ
 venustissimæ, & amantes puerorum tibi flores violasq; luteas car-
 pent, plenis afferent calathis, & corollas necent, quibus ego mul-
 ta adijciam munera, vt poma, castaneas, pruna, laurum, myrtum.
 Sed non mouetur munere *Alexis*, & *Iolas* ditissimus possessor eius
 nullis eum à se muneribus abduci patitur. Quamquam quid hoc
 verbi ex ore meo excidit, qui meos amores alijs indico mihi præ-
 repturis, aut turbaturis? & Austrum floribus immitto, qui suo eos
 halitu marcidos, & aridos breui reddere consuevit. Hæc Turneb.
 quibus nonnulla continuationis causa inspersimus, omisissè pau-
 cis, quae ad explicationem magis pertinent, vt vidisti, quemadmo-
 dum alia ibidem.



Ecloga tertia. Palæmon.
 SYNOPSIS.

Quinque partibus continetur Ecloga præsens. Primum enim *Menalcas*, & *Damœtas* vicissim se admodum contumeliosè accipiunt, tanquam fures, inuidos, maleuolos, cantandique prorsus rudes atque imperitos: & quod in prouerbio est, par pari vterque in caput alterius refert. Deinde verò depositis in medium pignori-
 bus, ijsque commendatis, duobus nempe vitulis (nam fagineum *Damœta* poculum aspernatur *Menalcas*, vt suæ vitule multum impar, nulloque modo conferendum) ad certamen sese prouocant. Postea ad *Palæmonem*, qui altercationi huic forte fortuna interuenerat, litis totius arbitrium defertur. Tum amœbeo carmine concertant. Est autem amœbeum carmen, auctore Festo, quoties hi qui canunt, & equali numero versuum vtuntur: & ita se habet ipsa responsio, vt aut maius, aut contrarium quid dicant. Postremò *Palæmon* eos pares, neutrumq; altero superio-
 rem pronuntiat, dubiam palmam relinquens. Fuit *L. Rhemnius Palæmon* non ignobilis Gram-
 maticus, cuius item mentio apud *Suetonium*: tanta inflatus arrogantia, vt *M. Varronem* Roma-
 norum doctissimum, porcum appellaret, secumq; & natus, & morituras litteras gloriaretur. Hic
 nomen suum non casu, ac fortuito, sed prouidè in Bucolicis positum aiebat: præagisse enim *Virgi-*
lium, fore quandoque omnium poetarum poematumq; iudicem *Palæmonem*. Obseruarunt eru-
 diti, ex *Idyllijs* *Theocriti*, quarto nempe, & quinto conformatum hoc poematum, *Virgilium*que
 varietatem, quæ cum in omnibus rebus, tum præsertim in *Eclogis* delectat, quæsiuisse. In prima
 namq; personas amicas, & familiares introduxit. In secunda, alteram amantem, alteram auer-
 santem. In hac duas planè aduersarias, & rixantes etiam. Et existimatus est nomen suum sub
 persona *Damœta* aduersus æmulos quosdam defendere, demonstrareque, eos frustra conari suæ
 claritati tenebras offundere. Ad hanc, & septimam effinxit quartam suam *Nemesianus*. Nam
 ibi quoque *Mopsus* & *Lycidas* alterno versuum tetrade, adiuncto eodem intercalari, vt fit in
Pharmaceutria, suos amores consolantur. Respondet huic eidem secunda *Calpurnij*: vehemen-
 ter quippe vterq; μαρτυρεῖ. Sed id magis, & illustrius in *Nemesiani* paucis eclogis apparet.

E

EXPLA-